



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 14. Patrum sententiæ circa Authorum citationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

idem Pauli IV. Index nulla mutatione facta acceptetur, cum nulla etiam correctione egeret: non deerant tamen, qui hunc Indicem esse rejiciendum, nec alium componendum contendebant.

§. XIV.

Patrum sententiæ circa Authorum citationem.

*Pallav. c. 19.
num. II.
Sarpinus l. 6.
p. 457.*

Cum in secundo articulo ibidem examinando de Authoribus, quorum interest, allegandis ageretur, statutumque esset, illos in decreto esse nominandos, ne perinde, ac si auditi non fuissent, querendi ansam haberent, hinc Cavenfis Episcopus hæc proposuit: „duo „sunt genera Auctorum, nam eorum „quidam sunt ab Ecclesia segregati, alii „autem eidem uniti: porro de primis „nullam curam esse habendam censeo, „quia juxta D. Paulum semetipsos, sua- „que opera ab Ecclesia deficientes con- „demnarunt: ceteri vero vel jam sunt „mortui, vel adhuc vita superstites: hi „ergo citandi, atque audiendi sunt, „nam alias eorum libri jure damnari „nequeunt, quia de illorum agitur ho- „nore: mortuis autem, cum illorum „parum intersit, libere inferri poterit, „quidquid ad publicam utilitatem ce- „dere videbitur, quin ullius offensio „timenda sit.„ Alius Episcopus sub-
junxit,

subjunct, hanc quoque iudicii rationem esse servandam circa ceteros Catholicos jam defunctos ob eorum Parentes, ac discipulos, in quos tam defuncti gloria, quam ignominia redundare videretur, & quamvis illorum nullus in vivis esset, solam tamen defuncti memoriam iudicio haud subjiciendam inquietabat, nisi prius ab aliis defendatur.

Alphonsus Rossettus Comaciensis Episcopus, aliique censebant, quod non modo honestas, atque utilitas publica, sed etiam juxta nonnullos æquitas deponat, ut Doctores vocati doctrinæ suæ rationem reddant, eorumque explanationes, atque argumenta audiantur: Verum huic opinioni Joannes Baptista Castanea Rossanæ in Calabria Episcopus, qui evolutis quibusdam annis postea ad D. Petri Cathedram assumpto Urbani VII. nomine fuerat assumptus, adversabatur, ejusque sententiæ Augustinus Boncompagnus, pluresque alii ad stipulati sunt, propugnantes, quod a Gesalio Papa, prout in jure Canonico significatum haberetur, fuisset factum, ut hæreticorum libri, quin eorum vindiciæ essent auditæ, fuerint condemnati, cum non de eorum personis, sed libris ageretur, nec illorum authores condemnentur, sed lex, qua eorum opera tanquam Reipublicæ noxia prohiberentur,

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

Canon. Sancta Distinct.

15.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

A a sta-

Sæcul. XVI A. C. 1562. stabiliatur, prout fieri soleat in Regno rite administrato, in quo non merces civibus nocivæ tolerantur, sed proscribuntur, quin in opifices, qui eas conficissent, inquireretur.

§. XV.

Patrum consultatio circa fidei publicæ literas hæreticis concedendas.

Pallav. c. 19. n. 12. Circa tertium articulum, qui securitatis literas hæreticis tradendas concernebat, quorundam Patrum, uti Asaphensis Episcopi, aliorumque opinio erat, in hisce literis apponendam esse hanc clausulam, *dummodo errores suos abjurandi, non autem altercandi animo ad Synodum venire intendant*: alii vero putabant, hæreticos duntaxat esse obstringendos, ut in publicis congressibus a convitiis, atque injuriis abstinerent: Verum Ludovicus Beccatellus Ragusinus Archiepiscopus unacum pluribus aliis, qui ejusdem erant sententiæ, hortabatur Patres, ut ingenti uterentur moderatione tam in publicæ fidei literis Protestantibus absque restrictione, uti promissum fuisset, indulgendis, quam in adhortatione, qua præter factam veniæ spem, ut ad finem Ecclesiæ revertantur, monendi sint: insuper, cum
ad